

meretricium Oollae, & Oollae acriter reprehendit idololatriam Samaritae, & Jerusalem Ezechiel 23. num. 400. ibi: *Circumlinisti sibi oculos tuos, & ornata es mundo multebri.* Oculis noxia, & sibi in maximo. *Alia, Vina, Venus, Pulvis, Ventus, & Eaba, Fumus.* *Ista nocent oculis, sed vigilare magis.* Sic apud Ursayam in miscellaneo sacro, & profano. *litera O. num. 24. & 25.* Oculis retro nulla lex, nulla appellatio, nulla inhibito habet; Rota in Herden. *Hereditatis 4. Febr. 1705.* Quod si coram Anald. apud Ursayam loc. cit. n. 261. Oculorum officium amississe dicitur: quum lingua; Bagnan. lib. 3. *decret. in cap. Cum percussio. 2. de Clerico egrotante num. 14. arg. cap. Causam quae, de electione. cap. 1. de tregua, & pace cum similibus.* In missa Sacerdos elevat oculos ad Munda cor meum, Veni Sanctificator, ad oblationem Hostiae, & Calicis, sed offerens Hostiam statim iterum deprimit in Hostiam, offerens autem Calicem tenet elevatos. Item oculos elevat ad Suscipe, Sancta Trinitas. Te igitur Clementissime. *Gratias agamus, dum dicit Deo nostro, Qui pridie dum dicit, Elevatis oculis.* Quando Hostiam, & Calicem elevat; hanc enim respicit, donec deponat: in fine ad *Benedicite vos Omnipotens Deus; Sic ex Misrali in Rit. servando in celebratione missae per tot.* In missa Sacerdos oculos demissos tenet, dum accedit, vel recedit ab altari. Quandocumque se vertit ad populum. Sub utroque *Memento.* Post consecrationem plerumque conjungitur in Hostiam, nisi occupentur in legendo: Sic *ex Misrali loc. cit.*

ODIUM.

SUMMARIUM.

- 1 Odiu opponitur directe amori, seu charitati.
- 2 Sicut duplex est amor, scilicet unus amicitiae, & alter concupiscentiae; ita duplex quoque est odium, scilicet unum personae, seu odium inimicitiae, & alterum odium qualitatis, seu odium abominationis.
- 3 Odium personae, seu odium inimicitiae quid sit.
- 4 Odium qualitatis, seu abominationis quid sit.
- 5 Odium personae, seu inimicitia non reperitur in Deo.
- 6 Bene vero odium qualitatis, seu abominationis.
- 7 In homine reperitur utrumque, scilicet, & odium inimicitiae, & odium abominationis.
- 8 Odium inimicitiae tum erga Deum, tum erga proximum, est peccatum de genere suo gravissimum.
- 9 Odium inimicitiae erga Deum non potest esse veniale ob parvitatem materiae, bene vero ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus. Odium autem inimicitiae erga proximum potest esse veniale, tum ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus, tum ob parvitatem materiae.
- 10 Odium abominationis erga Deum est de genere suo peccatum mortale; erga proximum autem interdum veniale est, & laude dignum.
- 11 Afferitur ratio prima partis.
- 12 Afferitur ratio secunda partis.
- 13 Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, aut inordinate contra ordinem charitatis.
- 14 Afferuntur ad id propositiones damnatae.
- 15 Odium suscitatur rixas, & universa delicta operit charitas.
- 16 Odio quem laeseris proprium humani generis est.
- 17 Alia ad rem, remissive.

ODIUM opponitur directe amori, seu charitati, communis. Unde sicut duplex est amor, scilicet unus amicitiae, & alter concupiscentiae, ita duplex quoque est odium

scilicet unum personae, seu odium inimicitiae, & alterum odium qualitatis, seu odium abominationis, communis. Odium personae, seu odium inimicitiae, est illud, quo personae alicui volumus malum quatenus absolute illi malum. Est in re communis. Odium qualitatis, seu abominationis est illud, quo personam adversamur, non secundum seipsam, sed secundum suam malam qualitatem, quatenus pia est nobis, vel alteri, aut communitati noxia: Est in re communis.

Odium personae, seu inimicitiae non reperitur formaliter in Deo, quia Deus non odio habet creaturam, ut creaturam, cum de illo dicatur. *Sapient. 11. Nihil odisti eorum, quae fecerunt.* Reperitur autem in Deo odium qualitatis, seu abominationis, quatenus odio habet creaturam ut peccatricem, juxta id, quod dicitur. *Psalm. 5. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem; & inferius. Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus; & Psalm. 118. Iniquis odio habuit; & ad Romanus 9. Esau odio habuit, cum similibus.*

In homine reperitur (& utnaam non reperitur) utrumque odium, scilicet & odium inimicitiae, & odium abominationis; communis.

Odium inimicitiae tum erga Deum, tum erga proximum est peccatum de genere suo gravissimum; communis. Et colligitur ex *Psalm. 73. Superbia eorum, qui te odorant, ascendit semper, & ex lib. Num. cap. 10. vbi: Dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, & ex 1. Joann. cap. 2. ibi: Qui odit fratrem suum, in tenebris est? cum similibus. Et probatur etiam ratione, quia odium inimicitiae formaliter, & directe opponitur charitati, quae est maxima omnium virtutum, ex 1. ad Corinth. 13. num. 13. ibi: *Major autem horum est charitas, & de qua praecipuum mandatum habemus ex Matth. 22. num. 37. & seq. ibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est maximum, & primum mandatum; secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ex *Marc. 12. n. 30. & seq. ibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua; hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum utamquam te ipsum: Majus horum alium mandatum non est.* Ex *Luca 10. num. 27. ibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum.* Adeoque odium inimicitiae, tum erga Deum tuum, tum erga proximum, est peccatum de genere suo gravissimum.*

Dicitur autem notanter de genere suo, quia licet odium inimicitiae erga Deum non possit esse veniale ob parvitatem materiae, cum quodlibet odium etiam in materia levi maxime repugnet summæ ejus bonitati, potest tamen esse veniale ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus; & odium inimicitiae erga proximum potest esse veniale, tum ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus, tum ob parvitatem materiae, puta si levi aliquam displicentiam, seu modicam aversionem habeat quis erga proximum, aut leve malum illi optet, ut recte notant Reiffenstuel *theolog. moral. tract. 4. dist. 7. quest. 1. num. 5. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 4. Tarranus cap. 2. disp. 91. dub. 1. & alii passim.*

Odium abominationis erga Deum est de genere suo peccatum mortale; erga proximum autem interdum veniale est, & laude dignum. Communis. Ratio prima partis est, quia cum Deus sit infinite bonus, & in eum nulla malitia, sive defectus intrinsecus, vel extrinsecus cadere possit, ob quem abominatione, vel odio dignus sit, immo omnia, quae in eo sunt, & ab ipso procedunt, pro nobis bona sint, quavis creaturam nostram interdum mala videantur, ideo summa nostra deordinatio est Deum odisse, adeoque peccatum mortale est: eum odio prosequi propter infinitatem, paupertatem, afflictionem, & hujusmodi &c. quibus ad nostrum spirituale profectum, & utilitatem aeternam nos interdum visitare dignatur. Ratio autem secundae partis est: quia odium abomina-

Odium suscitatur rixas, & universa delicta operit charitas: Proverb. cap. 10. num 12. Odio quem laeseris proprium humani generis est, 16 Tacit. in 16. vita Agricola. Alia, vide verb. Virtus a num. 34. ad 87. (Vide lib. I. pag. 209.)

OFFICIALES BELLICI.

Vide verb. Bellum art. 3. per tot. (Præterea vid. aliquid in princip. p. 180. lit. l. aque lit. M. pag. 74. col. 2. & pag. 280. col. 2. cum pag. 295.)

OFFICIUM DIVINUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quae concernunt ejus nomen, originem, divisionem, & obligationem.

SUMMARIUM.

- 1 Offeritur modo appellatur divinum, & quare.
- 2 Modo vocatur ecclesiasticum, & quare.
- 3 Modo vocatur canonicum, seu hora canonica, & quare.
- 4 Modo vocatur breviarium, & quare.
- 5 Modo vocatur horarum, & quare.
- 6 Unde officium divinum, seu ecclesiasticum, vel breviarium, aut orarium, seu hora canonica definitur possunt officia quaedam &c.
- 7 Usus divini officii, ac recitatio horarum canonicarum est antiquissimum in ecclesia catholica, & jam a tempore Apostolorum inchoatus, atque celebratus.
- 8 Qui dicunt horas canonicas cepisse de SS. Damaso, Gelasio, & Gregorio primis, intelligendi sunt, quod a dictis Summis Pontificibus caperit quoad novam, & reformatam formam ipsas recitandi.
- 9 Formula moderna recitandi horas canonicas, seu divinum officium, fuit potissimum tradita a nostris Franciscanis, & deinde a Sede Apostolica pro ipsa Ecclesia Romana suscepta.
- 10 Afferitur summariu constitutionis S. Pii V. incip. Quod a Nobis... edita pro reformatione, & editione Breviarii Romani.
- 11 Afferitur ad id summariu constitutionis Clementis VIII. incip. Cum in Ecclesia...
- 12 Afferitur ad id summariu constitutionis Urbani VIII. incip. Divinum Psalmodiū...
- 13 Officium divinum dividitur in nocturnum, & diurnum.
- 14 Per officium nocturnum quid intelligatur.
- 15 Per officium diurnum quid intelligatur.
- 16 Totum divinum officium dividitur in septem partes, seu septem horas canonicas, quae enumerantur.
- 17 Assignatur mystica ratio hujus septenarii numeri horarum canonicarum.
- 18 Obligatio recitandi divinum officium, seu horas canonicas, oritur ex triplici titulo, scilicet Sacri Ordinis, beneficii ecclesiastici, & Religionis choro adstricta.
- 19 Titulo Sacri Ordinis obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium omnes Subdiaconi, & Diaconi, & Presbyteri, quamvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint adstricti.
- 20 Obligatio recitandi horas canonicas incipit a prima die, & hora suscepti Subdiaconatus.
- 21 Clerici in Sacris constituti tenentur ad recitationem divini officii, etiamsi sint excommunicati, interdicti, & suspensi.
- 22 Idemque plurimi censent de degradatis.
- 23 Quid sentiendum de damnatis ad stragem, incarceratione...

tionis interdum fundatur in amore amicitiae, seu charitatis erga Deum, vel nos ipsos, vel erga proximum ipsum, quomodo odium, si debito ordine, & fine eliciatur, ex virtute charitatis proveniat, adeoque sit licitum, & laude dignum. Unde licitum est, & laude dignum mortem optare Haereticarum, vel publice pacis turbatori ob bonum commune, & multorum, juxta illud ad Galatas 5. *Utinam abscondantur.* Item mortem, egestatem, aut morbum alicujus desiderare, ut cesset a peccatis, & vitam in melius mutet. Item tristici de eo, quod dignitates conferantur indignis, vel sanitate, & prosperitate, seu fortuna ejus, qui ex illa sumit occasionem peccandi; & generatim ad bonum spirituale proprium, vel alienum licet mala poena inefficaci affectu aliis vellet; quia cum in hoc affectu bonum spirituale praefertur temporali, non est inordinatum.

Nunquam licet optare mortem alterius, sed ejus conversionem. Scripturatum Interpretum neminem novi, qui Apostoli verba: *Utinam, & abscondantur*, de morte intelligat. Vel enim ea explicat de abscissione per anathematis sententiam. Vel de executione, ut si Apostolus dicere vellet; falsi isti doctores, quibus tantopere curae est circumcisio, necdum circumcidentur, verum etiam abscondantur. *Postremam hanc explicationem*, inquit eruditus Calmet in praefatu sextum, vulgo probant scriptores.

Dignetur R. Theologus rite pendere quae a me tradita sunt loc. cit. & cautelam subjunctam num. 13. immediate sequenti ex S. Gregor. S. Thoma & Scoti adfuerunt, subsistere meam assertionem in sensu, & modo ibi exposito.

Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, aut inordinate contra ordinem charitatis, quia quamvis licitum sit ordinare, & salva charitate inefficaci affectu optare alicui mortem, morbum, aut aliquod temporale infortunium ob bonum spirituale proprium, vel ipsius, aut alterius, aut propter bonum commune reipublicae, quod aliis obtineri non posset, ut notant communiter Doctores cum S. Gregorio 22. *Moral. 11. S. Thomas 2. 2. q. 76. art. 1. & in 3. dist. 30. art. 1. & Scoti in 3. dist. 30. q. unica.* quia sic principalis intentio, & finis non fertur ad malum, sed ad bonum spirituale ipsius, vel alterius, vel ad bonum communitatis, & ut alter graviter nocere desinat; tamen illicitum est, & charitati repugnans optare mortem proximo ob bonum temporale non necessarium, aut quodcumque etiam modicum temporale emolumentum quia tale bonum, & temporale emolumentum censetur esse levioris momenti, facta comparatione cum vita hominis; & ita illicitum est desiderium, & gaudium de malo proximi, quod trahit secum nostrum, seu alterius, aut reipublicae bonum; si tale bonum non sit comparatione ad malum proximi in ordine, & esse praestantius; Sic recte pluribus adductis notant Cardenas in *crisi theologica ad propositiones 13. 14. & 15. ex merito damnatis ab Innocent. XI. die 2. Mart. 1679. Viva ad easdem, & alii scribentes in ipsis, quae propositiones hic ad litteram dantur, pro ut jacent.*

Propositio XIII.

Si cum debita moderatione facias, potest absque peccato mortali de vita alicujus tristici, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Propositio XIV.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

Propositio XV.

Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.

- ceratis, & captivis apud infideles.
- 24 Clericus in Sacris, qui cum dispensatione Papae duxerit uxorem, tenetur adhuc probabilis ad recitationem divini officii, nisi quoad hoc etiam obtinuerit dispensationem Pontificiam.
- 25 Titulo beneficii ecclesiastici obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu horas canonicas, Beneficiati omnes, sive habeant beneficium curatum, sive non curatum.
- 26 Et quando incipiat dicta eorum obligatio.
- 27 Immo tenentur Beneficiati ad recitationem divini officii, etiam si suum beneficium sit tenue, si scienter illud acceptaverint.
- 28 Item tenentur ad recitationem divini officii habentes praestimoniam, & praestimoniales portiones.
- 29 Clerici percipientes portionem ex beneficio ecclesiastico tenentur recitare officium B. M. V. nisi recitent ipsam officium divinum.
- 30 Beneficiati, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium sine impedimento, & culpabiliter non recitaverint, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis.
- 31 Beneficiati tenentur in conscientia ad talem faciendam restitutionem ante omnem sententiam, & declarationem iudicis.
- 32 Neque talem restitutionem compensare possunt Beneficiati per elemosynas ante neglectam recitationem datas ex fructibus beneficii, ob quod tenentur ad horas canonicas.
- 33 Pro recitatione tamen ob neglectas horas satis est, post illud tempus, a quo Beneficiarii omiserint, dare elemosynam, etiam si non cogitent de debito, neque intendant dare in exolutionem suae obligationis.
- 34 Postquam autem tales Beneficiarii elemosynas ob omissionem horarum debitas pauperibus sibi applicare, si vere sint pauperes.
- 35 Obtinent beneficia v. gr. Praepositurae, personatus, & huiusmodi, quibus ex speciali sua erectione solum annexa est obligatio recitandi officium parvum B. M. V. vel alia similis obligatio, cum expressa conditione, quod capellanus ratione capellaniae non sit obligatus ad horas canonicas, eximuntur ab onere recitandi divinum officium, & consequenter ab onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis.
- 36 Item a tali onere eximuntur, qui titulum quidem beneficii obtinent, sed per se non stat, quominus de facto aliquos fructus percipere possint.
- 37 Titulo Religionis professae choro adstrictae obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim, omnes, ac singuli regulares (exceptis novitiis, ac laicis, & conversis) qui profitentur religionem choro adstrictam, & hoc ratione generalis consuetudinis in omnibus religionibus choro adstrictis cum tali obligatione receptae.
- 28 Novitiis, & laici seu conversi ad id non tenentur.
- 39 In illis autem religionibus, ubi propria regula obligat laicos seu conversos ad constium precum recitationem, & huiusmodi, ut in religione minorum, laici, seu conversi ad illas tenentur, sicut ad alia praeccepta propriae regulae.
- 40 Item sub mortali obligantur ad recitationem divini officii sive publice in choro, sive privatim, omnes, ac singulae Moniales choro adstrictae ratione consuetudinis obligantur sub mortali, quomodo ad id non sint obligatae ex vi regulae, aut voti.
- 41 Excipiuntur tamen novitiis, & conversis, de quibus discurrendum est, ac de novitiis, & conversis regularium.
- 42 Obligatio recitandi divinum officium in choro incumbit toti communitati, monasterio, capitulo, ita tamen, ut primario, & ex officio incumbat Praelato, seu Superiori, qui peccabit graviter, si ex eius culpa officium vel omittatur, vel notabiliter negligatur, vel etiam indebitè percolatur.
- 43 Secundario talis obligatio incumbit subditis, ita ut

- deficiente suo munerè superiore etiam peccent mortaliter subditi, si ex eorum negligentia divinum officium praetermittatur, aut indebitè percolatur.
- 44 Novitiis soli de more recitantes in choro horas canonicas satisfaciunt obligationi loco professorum, dammodo tot numero adsint, quod requiruntur ad constituendum corpus communitatis, aut collegium.
- 45 Ad satisfaciendum obligationi recitandi officium in choro sufficiunt, & requiruntur saltem tres.
- 46 Obligati ad divinum officium, & choro additi, licet extra chorum non teneantur diebus statutis recitare psalmos Graduales, nec Penitentiales, neque Ec. tamen in choro ex praeccepto recitare debent.
- 47 Religiosi fugitivi, seu apostatae, excommunicati, suspensi, & interdicti tenentur adhuc ad recitationem divini officii, licet non sint sacris initiati.
- 48 Quid dicendum de religiosis condemnatis ad irremediam, & incarceratis, seu factis captivis ab infidelibus.
- 49 Quid dicendum de religiosis degradatis.
- 50 Quid de religiosis egressis.
- 51 Religiosus chorista nondum in sacris constitutus, si ex privilegio Papae exeat ad religionem ad ducendam uxorem, non tenetur divinum officium recitare, nisi diploma aliud sonet.
- 52 Idem probabiliter dicendum est de eo religioso nondum in sacris, qui obtinuit Pontificiam dispensationem perpetuo vivendi extra monasterium.
- 53 Idem dicendum est de religioso nondum in sacris ex simili dispensatione Pontificia transeunte de clericatu ad statum convertorum, aut ad religionem, ubi religiosi non sint ad chorum professi, & obligati.
- 54 Adit. inseruntur.

**O**FFICIUM modo appellatur divinum, ut cap. Dolentes 9. de celebratione missar. ibi: Ut divinum officium, & Clement. 1. eod. tit. ibi: Divinum diurnum, & nocturnum officium; quia ad Dei cultum est institutum; modo vocatur ecclesiasticum, ut cit. Clementin. 1. de celebratione missarum, ibi: Ecclesiasticum. . . officium, quia nomine Ecclesiae persolvitur; modo vocatur canonicum, seu hora canonice, quia fit iuxta regulas sacrorum canonum; modo vocatur breviarium, quia est breve, & admirabile compendium veteris, & novi Testamenti, Patrum sententiarum, & vitae Sanctorum; modo vocatur orarium ab orando, quia magna ejus pars constat variis precibus, seu petitionibus fuis ad Deum, & potissimum Deum oramus, & precamur per ipsum.

Unde officium divinum, seu ecclesiasticum, vel breviarium, aut orarium, seu horae canonice definitur possunt, "Officia quaedam divina ex psalmis, hymnis, canticis, Sacra Scriptura, & doctrina SS. PP. constructa, atque sacrorum canonum decreto ad personas ecclesiasticas Ecclesiae nomine, certis diei, noctisque horis persolvenda ad Deum, prout tradit Sporer tom. 3. Theolog. Sacrament. Appendice de obligatione recitandi horas canonicas quaest. praebambula num. 2. vel ut brevius tradit Layman lib. 4. tract. 1. cap. 2. horae canonice sunt publicae, ac statuta praecis ex sacrorum canonum decreto ab ecclesiasticis personis nomine ecclesiae ad Deum persolvendae."

Usus divini officii, ac recitatio horarum canonicarum est antiquissimus in ecclesia catholica, & jam a tempore Apostolorum inchoatus, atque celebratus, & colligitur ex illo Actorum 5. ibi: Petrus, & Joannes ascendeant in templum ad horam orationis nonam & Agor. 10. ibi: Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam, & Act. 16. ibi: Media nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum: Et probat etiam illud S. Clementis Papa I. lib. 8. constitution. Apostolicar. Canon. 34. sic expresse dicentis: Praecationes facite mane, hora tertia, sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum.

Cum autem aliqui dicunt ad SS. Damaso, Gelasio, & Gregorio primis horas canonicas coepisse, intelligendi sunt ho-

- horas canonicas a dictis Summis Pontificibus coepisse quoad novam, & reformatam formam ipsas recitandi, prout notant passim Scriptores, & colligitur ex notatis in initio nostri breviarii Franciscani post bullam Greg. IX. incip. Pio vestro Collegio. . . ubi sic praecise habetur.
- 9 Breviaria autem à Gregorio IX. pro ordine nostro sic approbata, formulam divini officii continebant, quae à SS. Damaso, Gelasio, & Gregorio Primis pro S. Romana Ecclesia constituta, & à S. Gregorio VII. reformatata extiterat, diuturnitate tamen temporis jam ab antiqua institutione deflexerat, & opera Haymonis Angelici Generalis Ministri ad praescriptum moderniorum decretorum S. Sedis sunt restituta fuerat.
- 10 Eaque propter hujusmodi formula Deo persolvendi sacras preces, laudes, & gratias, sic restituta, officiis, quae Conceptionis B. M. Virginis, & aliorum Sanctorum à S. Bonaventura subinde aucta, adeo Sedi Apostolicae placuit, ut restantibus Radulpho Tungrensi, Palmerio, Gavanto, & Card. Bona cum innumeris aliis Sacris Scriptoribus, à Nicolao III. anno 1277. ad Pontificatum assumpto, pro ipsa Ecclesia Romana postmodum suscepta, ac sancta comperitur.
- 11 Hanc deinde temporum injuria, aliisque de causis variatam in pristinum statum ex decreto Tridentinae Synodi restituit S. Pius V. sub rubricis praesertim, ac ritibus, regulisque pro ordine nostro à Romanis Pontificibus Nicolai III. successoribus usque tunc approbatis, & contentis in directorio divini officii prius pro ordine nostro edito, in cujus commendationem id restatum idem Gavantus reliquit, quod innuunt ejus infrascriptae verba: Paucissimi tamen erant (inquit de rubricis appoitis in reformatione Piana) eorum tituli, nempe undecim tantum in prima editione juris Pii V. hausti è directorio divini officii, composito à Ludovico Ciconiolo Regularis Observantiae, sub Paulo III. qui è directorium approbavit. Praedictae tamen restitutioni, seu reformationi suam operam addidere impensissimam Clemens VIII. & Urbanus VIII. prout ex eorumdem sequentibus bullarum summaris, & ipsius formulae contextu luculentius apparebit.
- 12 Summa bullarum Summorum Pontificum pro editione Breviarii Romani.
- S. Pius V. Bulla, quae incipit Quod à nobis . . . data Romae septimo Idus Julii anno 1568.
- Significat causam edendi hujus breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem.
- Enarrat ea, quae in hac re praestiterit Paulus, & Pius nomine Quarti, & quam ipse adhiberi operam curavit ex decreto Concilii Tridentini.
- Tollit, & abolet omnino breviarium à Cardinale S. Crucis compositum, quod erat brevissimum. Item alia Breviaria Romana, & alia quae ex institutione, vel consuetudine legitima non superant ducentos annos.
- Permittit tamen, ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc breviarium, iis omissis, si Episcopos, & universum capitulum consentiant.
- Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta & privilegia, licentias, & indulgia precandi, & psalendi more, & ritu praedictorum breviarium suppressorum.
- Praecipit observari hoc breviarium in toto orbe cum exceptione 200. annorum, de qua supra.
- Statuit in eo nihil mutandum, addendum, & detrahendum.
- Obligat quoque, qui tenentur horas canonicas recitare, ut hoc utantur breviario, aliàs non satisfaciunt muneri suo.
- Juber omnibus Praelatis, ut hoc introducant, tam in choro, quam extra chorum. Tollit peccati obligationem, quae erat recitandi in choro officium parvum B. M. V. & defunctorum, psalmos Penitentiales, & Graduales, juxta rubricas breviarii.
- Horatur, ut recitentur eadem, propositis indulgentis dierum centum recitantis officium parvum B. M. V. & defunctorum, quinquaginta recitantis psalmos Penitentiales, & Graduales, quando rubricae ea praescribunt.
- Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est, recitandi officium parvum B. M. V. in choro, immo eam-

dem confirmat, & tandem tempus decernit obligationis ad usum breviarii post ejusdem publicationem.

Clemens VIII. constitutione, cujus initium Cum in Ecclesia . . . data Romae die 10. Maji 1602. declarat se per viros pios, & eruditos Breviarium Romanum à Pio V. editum, & progressu temporis in multis depravatum examinasse, & in statum pristinum restituisse; illudque sic restitutum in typographia Vaticana imprimi, & divulgari jussisse. Prohibet, ne alibi imprimatur, nisi juxta exemplar Vaticanum, & habita Ordinarium licentia sub poena excommunicationis latae sententiae. Interdicit usum breviarium impressorum absque tali Ordinarium licentia in scriptis, quae fidem faciat de collatione facta praedictorum breviarium cum originali Romano, cujus etiam licentiae copia initio, vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur. Praedictis Ordinariis prohibet, ne aliquid addi, vel detrahi permittat. Et haec sub poena excommunicationis, suspensionis à divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiae; verumtamen in gratiam pauperum breviaria haec usque impressa vendere, apud se retinere, ac illis uti permittit.

Urbanus VIII. constitutione, quae incipit Divinum Psalmodium . . . data Romae die 25. Januarii 1631. declarat se priorem, Doctorumque Virorum adhibita cura, breviarium à Pio V. editum, & à Clemente VIII. recognitum à pluribus mendis expurgasse, hymnos ad metri, & latinatis regulas revocasse, in psalmis, & canticis interpunctionem editionis vulgatae restituisse, sermones, homilias, & Sanctorum historias collatis veteribus manuscriptorum recognovisse. Quomobrem jubet, ut juxta hanc correctionem Romae imprimatur, alibi juxta Romanum exemplar excudatur, servatis conditionibus in suprascripta Clementis Bulla enumeratis, quas fere isdem verbis repetit. Adjungens easdem conditiones servandas in impressione eorum, quae à Breviario Romano ortum habent, cujusmodi sunt missalia, diurnalia, officia parva B. M. V. officia majoris hebdomadae, & alia id generis.

Officium divinum dividitur in diurnum, & nocturnum prout expresse habetur ex cap. Dolentes 9. de celebratione missarum, ibi: Ut divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, & ex Clement. 1. de celebratione missarum, ibi: Et debite celebretur divinum diurnum, & nocturnum officium. Per officium nocturnum intelligitur id, quod de nocte celebrari consuevit, & adhuc apud plures religiones, & regiones celebratur, & vulgo nuncupatur matutinum, cui juxta morem Ecclesiae Romanae adjunguntur laudes: Quamvis istae olim in multis ecclesiis fuerint à matutino separatae, & adhuc nunc apud nonnullos religiosos ordines separantur, & posse licite, immo laudabiliter separari, fuit dictum sub verb. Matutinum . . . Per officium diurnum intelligitur omnes aliae canonicae horae, quae de die sunt persolvendae.

Totum divinum officium dividitur jam fere communiter contra Navarr. & nonnullos alios in septem partes, seu septem horas canonicas, nempe matutinum cum laudibus; primam, tertiam, sextam, nonam, vespere, & completorium, juxta illud Davidis Psal. 118. Septies in die laudem dixi tibi: Qui septenarius numerus (subjungit Concilium Agabense relatum in cap. 1. de celebratione missarum) à nobis impletur, si matutini, primae, tertiae, sextae, nonae, vespere, & completorii tempore nostrae servitutis officia persolvamus; nam de nocturnis vigiliis, idem ipse Propheta ait; media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus laudes Creatori nostro super Judicia sua. Justitiae referamus."

Et hujus septenarii numeri horarum canonicarum mysticam rationem assignat Gloss. in cit. cap. 1. de celebratione missarum verb. Septenarius. . . quia nempe septem sunt dona Spiritus Sancti; septem sunt dies seculi, id est, quibus completa fuit creatio mundi; septem sunt aetates, quibus completis, finietur mundus; septem sunt petitiones in Oratione Dominica; septem sunt psalmi Penitentiales, septem sunt Diaconi; septem sunt cantabula, & praesertim septem sunt praecipue Dominicae passionis mysteria, in quorum promde commemorationem septem horae canonicae recitantur, juxta illos vulgatos versiculos à Glossa loc. cit. relatos.

Hæc sunt septenis propter quæ psalmis horis.  
 Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.  
 Prima replet sputis, causam dat tertia mortis.  
 Sexta crucis necit, latus ejus nona bipartit.  
 Vera deponit, tumulo completa reponit."
   
 18 (Qui voluerit plura alia, quæ in num. septenario continentur, scire, recognoscat septem part. prologum vers. Septenario . . .)
   
 Obligatio recitandi divinum officium, seu horas canonicas oritur ex triplici titulo, scilicet ex titulo Sacri Ordinis, ex titulo beneficii ecclesiastici, & ex titulo religionis choro adstrictæ. *Communis. Titulo Sacri Ordinis* obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu horas canonicas omnes majoribus initiati, scilicet *Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri*, quamvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint adstricti. *Communis. De Sacerdotibus, & consequenter* Episcopis habetur in cap. Presbyter 1. & cap. Dolentes 9. de celebrat. missar. De Diaconis colligitur ex cap. Si quis Presbyter ultim. dist. 92. De omnibus etiam Subdiaconis habetur expresse in Concilio Basileensi sess. 21. §. Quocumque . . . Quia tamen cit. cap. ultim. dist. 92. non satis convincit de Diaconis, & cit. Concil. Basileense fuit cephalum, & sine capite, adeoque non satis ex ipso inducit obligatio de omnibus constituit in Sacris Ordinibus; dicendum est. obligationem recitandi divinum officium respectu Diaconorum, & Subdiaconorum, fundari in communi, & antiqua ecclesie consuetudine, vim legis secundum omnes obtinente, cum consuetudo legitime scripta habeat vim legis, simulque ea sit optima legum interpres, cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, (Consuetudo & Lex.)
   
 20 Obligatio recitandi horas canonicas incipit à prima die, & hora suscepti Subdiaconatus, ita ut ordinatus in Subdiaconum teneatur recitare illas horas, quæ correspondent horæ suæ ordinationis, sicque sua obligatio à sexta, vel nona, si illo tempore, & hora fuit in Subdiaconum ordinatus. *Communis.*
  
 21 Clerici in sacris constituti teneatur ad recitationem divini officii, etiamsi sint excommunicati, suspensi, & interdichi. *Communis.* Nemo enim debet ex propria culpa, & iniquitate commodum reportare; cap. Intelligimus 7. de iudicis, ibi: Ne videatur de sua malitia commodum reportare, & leg. Nemo ex suo, ff. de Regul. Juris, ibi: Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. (Lit. A. pag. 111. num. 88. & Litter. D. pag. 91. num. 43. verb. Ejicere, num. 51. verb. Eemptio, art. 2. num. 23.) Idemque propter eamdem rationem censent de Degradatis, Navarrus, Sotus, Henno, Reiffenstuel, & alii contra alios volentes Clericos degradatos non obligari ad horas canonicas, ex quo ab ecclesia spoliati sint omni privilegio Clericali, atque adeo ad statum mere secularem, seu laicalem rejecti. Idem pariter propter eamdem rationem de damnatis ad tiores, & de incarceratis docent Henno tom 1. tract. in Decalogi præcepta disput. 1. quest. 3. concl. 1. & alii plures contra alios volentes ipsos non teneri ad talem recitationem; quod revera multum probabile est de damnatis ad tiores, & à fortiori de captivis apud infideles; non tamen de incarceratis, ut cum Tambur. & alia recte docet Sporer tom. 3. tract. Append. de horis canonicis cap. 1. num. 9. Unde Sacri. Congreg. Concil. diebus 13. Augusti 1707. & 18. Augusti 1708. & 13. Decembris ejusdem anni, & 1719. noluit decidere, utrum damnatus ad tiores teneatur recitare divinum officium. Immo neque Clemens XI. cui Congregatio Concilii dubium resolvendum reservat. Sic refert Ursaya in 1. miscellaneo sacro, & profano Lit. O num. 4.
   
 Nota. Quamvis multum probabilis dici possit illorum Theologorum opinio, quæ Clericos ad tiores damnatos à recitatione divini officii eximit, quia, ut ait P. Concina tom. 2. theol. christi. dist. 2. quest. 7. pagin. 403. vix in tam misero statu implere hoc onus possunt, tum ob impedimenta continua, tum ob brevitatē privationem, tum etiam quia Pontifex, dum eisdem tanto supplicio subjicit, videtur eosdem à recitando officio tacite quomodo

dammodo dispensare, ne status religiosus (idem dicendum de statu clericali) opprobrio exponatur; isthac tamen opinio penitus falsa est de Clericis carceri mancipatis, qui certo certius recitare debent horas canonicas, ut omnes fatentur.
   
 † Falsam esse opinionem, quæ Clericos carceri mancipatos eximit à recitando officio, fateor & Ego ipsissimo loc. cit. expresse dicens; non tamen de incarceratis, ut cum Tamburin. & aliis recte docet Sporer &c. †
   
 Clericus in sacris, qui cum dispensatione Papæ duxit uxorem, teneatur adhuc probabilius ad recitationem divini officii, nisi quoad hoc etiam obtinuerit dispensationem Pontificiam, quia dispensatio utpote odiosa stricte est explicanda, arg. c. Odia 16. de Reg. jur. in 6. & ipse adhuc characterem Ordinis Sacri retinet. Henno loc. cit. Busemb. lib. 4. dub. 2. de horis canonicis. num. 1. La-Croix ibid. num. 1186. cum Bonacina, & Azorio ibi citatis, & alii plures contra Sporer loc. cit. & alios.
   
 Titulo beneficii ecclesiastici obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu horas canonicas Beneficiati omnes, sive habeant beneficium curatum, ut Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, Præpositi, Decani, Parochi &c. sive habeant beneficium non Curatum, ut Canonici, Vicarii, Capellani, alique Beneficiarii simplices. *Communis*, per textum in cap. Dolentes 9. de celebratione missarum, & cap. Quia 15. de rescriptis in 6. ubi expresse dicitur, quod beneficium datur propter officium, ibi: Officium . . . propter quod beneficium ecclesiasticum datur, & const. 135. S. Pii V. incip. Ex proximo . . . ubi expresse dicitur: "Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsius excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse."
   
 Et hanc beneficiorum obligationem recitandi divinum officium non incipere à die, qua beneficium eius collatum est, & ab ipsis fuit acceptatum, sed solum à die obtentæ possessionis, dummodo per ipsos non ster, ne possessionem consequantur, sed bona fide illam habere conentur, tenent Flaminus Parisius, Rodriguez, Henriquez, Azorius, Lessius, Suarez citati, & secuti à Layman l. 4. tract. 2. cap. 5. num. 3. ubi dicit hanc opinionem esse in scholis, & praxi receptiorem, & ultra supradictos id defendunt Filiucius, Naldus, Molfesius, Menochius, Cajetanus, Philarcus citati, & secuti à Bonacina de horis canonicis disput. 1. quest. 2. pan. 2. num. 2. & Cardinal. de Lugo respon. moral. lib. 5. dub. 5. num. 1. ubi ex Gavanto in Rubricis Breviarii sect. 1. cap. 4. num. 5. testatur de praxi, & consuetudine Romanæ Curie. Sic etiam Sporer tom. 3. tract. Appendic. de horis canon. cap. 1. num. 22. Felix Potestas tom. 1. p. 7. cap. 3. num. 490. Pontas didionar. cat. consent. verb. Officium Breviarii casu 8. & alii plures, quos affert, & sequitur Diana part. 2. tract. de horis canonicis resol. 21. Et ratio est, quia solum tunc censetur quis proprie habere beneficium, cum ejus pacificam possessionem accipit & habet & colligitur ex const. Leonis X. incip. Supernæ . . . & ex alia S. Pii V. incip. Ex proximo . . . ubi imponitur beneficiatis obligatio restituendi fructus perceptos, si post sex menses ab obtento beneficio non recitaverint divinum officium. Fructus autem non percipiuntur ante adeptam possessionem beneficii, & id etiam colligitur ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. ubi statuit, quod provis de beneficiis teneantur emittere professionem fidelè intra duos menses à die adeptæ possessionis, non autem à die obtenti tituli; quod est contra Navarrum cap. 7. de orat. numer. 29. & cap. 25. manual. num. 102. existimantem solum beneficium titulum sufficere post ejus acceptationem, & contra Henno tom. 1. tract. in decalog. disp. 1. quest. 5. art. 1. concl. 3. dicentem obligationem recitandi officium incipere ab eo tempore, quo fructus debentur beneficiato, sive interim possessionem accepit, sive non; quia ratio didat, ut quando quis incipit gaudere fructibus, incipiat & præstare id, propter quod sunt fructus, dicitque, quod contra praxi Romanæ Curie respicit solum forum externum; quæ opinio est mere probabilis, nisi nullum adsi dubium, & periculum obtinendi pacificam possessionem beneficii, cum,

cum, ut dicit etiam Pontas loc. cit. verb. Observandum, sit tutior, & justitie affnior.
   
 Immo teneatur beneficiati ad recitationem divini officii, etiamsi suum beneficium sit tenue, si scierit illud acceptatur. Vide verb. Beneficiatus art. 1. n. 2. & req.
   
 Item teneatur ad recitationem divini officii habentes præsentia, & præsentiales portiones, vide did. verb. Beneficiatus n. 3. Clerici percipientes pensionem ex beneficio ecclesiastico ex did. constitut. S. Pii V. incip. Ex proximo: teneatur recitare officium B. M. V. nisi (ut limitant communiter Doctores apud Tamb. lib. 2. decalog. c. 5. n. 22.) recitent ipsum officium divinum, sive gratuito, sive ex alia obligatione, nempe vel ratione Sacri Ordinis, vel ratione religiosæ professionis; quia mens Pontificis solum fuit, ut Clerici Pensionarii non essent omnino immunes ab orando, non autem alio superaddito onere eos aggravare, si aliunde jam inveniantur onerati divino officio.
   
 Beneficiati, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium sine impedimento & culpabiliter (secus si inculpabiliter, ob impotentionem, oblivionem &c.) non recitaverint, teneatur ad restitutionem fructuum pro rata recitaverint, seu respondentium tempori, quo non recitarunt: *Communis*; vide did. verb. Beneficiatus art. 1. n. 5. Beneficiati teneatur in conscientia ad talem faciendam restitutionem ante omnem sententiam, & declarationem Judicis, vide ibid. num. 6. Neque talem restitutionem compensare possunt beneficiati per elemosynas, ante neglectam recitationem datas ex fructibus beneficii, ob quod teneatur ad horas canonicas. Vide ibid. num. 7.
   
 Pro restitutione tamen ob neglectas horas, satis est post illud tempus, à quo beneficiarii omiserunt dare elemosynam, etiamsi non cogitent de debito, neque intendant dare in exsolutionem suæ obligationis; vide ibid. n. 8.
   
 Possunt autem tales beneficiarii elemosynas sibi applicare, si vere sint pauperes, cum non sint pejoris conditionis ipsi, quàm alii, etiamsi olim delinquerint; quia pauperibus existentibus in mortali potest fieri hujusmodi elemosyna. Sic viva ad propositionem 20. ex damnatis ab Alexandro VII. n. 10. ubi testatur de communi aliorum. Cavendum tamen, ne interveniat fraus, & dolus in beneficiatis non vere pauperibus.
   
 Beneficiarios omnes teneri fructus illos restituere, qui ex possessio beneficio percipiunt, in casu omissionis divini officii, tam certum est, quàm quod maxime. Ita namque definitum perspicue est in Lateran. Concilio sub Leone X. sess. 9. ac à S. Pio V. confirmatum in sua constitutione anno 1571. edita, cujus initium est: Ex proximo Lateranensi Concilio. Ontus istud restitutionis pro rata omissionis officii impositum est beneficiariis omnibus, saltem post sex menses à possessione pacifica beneficii, qui omnes, vel aliquos beneficii ejusdem fructus percipiunt, à S. Pio V. in sua mox laudata constitutione. Huic oneri, seu obligationi non satisfieri per quascumque elemosynas, quas beneficiarius sui beneficii fecerit, licet ex propositione 33. ab Alexandro VIII. damnata. Sed neque per elemosynas illas, quas beneficiarius post horarum canonicarum amissionem pauperibus erogavit, nihil cogians de suo debito suaque obligatione, ut Lacinus noster opinatur, nam beneficiarius elargiens elemosynam, nullo habito respectu ad restitutionis suæ debitum, liberaliter donat. Liberali autem donatione non satisficit oneri, quod ex justitia debetur: Quid quod, inquit P. Concina loco supra citato quest. 16. similibus elemosynis beneficiarius forsitan intendit satisficere præcepto erogandi superflua?
   
 Ad hanc porro fructuum restitutionem ob officii omissionem, nedum teneatur beneficiarii qui omnes beneficii sui fructus percipiunt, sed illi quoque, qui aliquos quocummodo percipiunt; etenim Piana constitutio indiscriminatim loquitur in casu omisi officii, quod nempe beneficiarius non faciat fructus suos, sive omnes, sive aliquos percipiat.
   
 Assertit hic R. Theologus, quod beneficiarius non satisficit suæ obligationi restituendo fructus ob omissionem recitationis divini officii per elemosynas factas post

dicam omissionem, nihil cogitando de suo debito, quia tunc, dicit ipse, liberaliter donat. At hoc nequaquam: quamvis enim beneficiarius tunc actualiter, & formaliter nihil cogitet de ipsa sua obligatione, habet tamen virtutalem intentionem, ut dando elemosynam, satisficiat per illum omni suæ obligationi, ut cum pluribus aliis trado Ego loc. ibi cit. Nemo enim rationabiliter presumitur velle charitatem exercere relicta sua obligatione ex justitia, adeoque nullo modo dicendum est, quod in casu liberaliter donet. †
   
 Obtinentes beneficia, v. gr. Preposituras, personatus, & hujusmodi, quibus ex speciali sua institutione, & erectione, solum annexa est obligatio recitandi officium parvum B. M. V. vel alia similis obligatio cum expressa conditione, quod Capellanus ratione capellanatæ non sit obligatus ad horas canonicas, eximuntur ab onere recitandi divinum officium, & consequenter ab onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis. Sporer loc. cit. num. 29. Reiffenstuel theol. moral. tract. 6. quest. 2. num. 26. & alii passim. Item à tali onere eximuntur, qui titulum quidem beneficii obtinent, sed per se non stat, quominus de facto aliquos fructus percipere possint, sive per se, sive per alios, aut in aliis substitutis; nemo enim suis stipendiis militare cogitur, 1. ad Corinth. c. 9. n. 7. ibi: Quis militat suis stipendiis unquam? Sic tenent Navarr. cap. 7. de orat. num. 28. Herinc part. 3. disput. 7. n. 58. Layman lib. 4. tractat. 2. c. 5. n. 3. & sequi Sporer l. c. n. 22. Reiffenst. l. c. n. 26. ubi testatur de communi. (Vid. verb. Societas inter fratres.)
   
 Titulo Religionis professe choro adstrictæ obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim omnes, ac singuli Regulares (exceptis novitiis, & laicis, sui conversis) qui profitentur Religionem choro adstrictam, & hoc ratione generalis consuetudinis, quæ in omnibus Religionibus choro additis cum tali obligatione acceptata est, quamvis ad id non sint obligati, nec ex vi Ordinis Sacri nondum recepti, nec ex vi beneficii non habitii, nec ex vi regulæ, aut voti; sic paucis exceptis Doctores communiter; & ratio est, quia universalis consuetudo habet vim legis obligantis sub mortali; talis autem consuetudo in Religionibus choro adstrictis est communiter recepta sub tali obligatione ex fere communi sensu Doctorem, quibus in moralibus standum est, cum quis raro bene loquatur, cum contra omnes loquitur, ut dicit Baldus cons. 112. in l. 2. adeoque &c. (Verb. Consuetudo.)
   
 Dicitur exceptis novitiis, & laicis, seu conversis, quia novitiis ex quo necdum sunt Religionem professi, sed possint libere exire, ad onera Religionis non teneantur sub obligatione. Laici autem sui conversi, licet sint Religionem professi, tamen per professionem non ad chorum, sed ad exercitia corporalia monasterii recipiuntur, & deputantur; unde si ex propria regula non sint obligati ad recitationem aliquam precum seu auditionem missæ, vel hujusmodi loco officii, ad id non teneantur, ut tenent communiter Doctores. In illis autem Religionibus, ubi propria regula obligat laicos, seu conversos ad consilium precum recitationem, vel hujusmodi, ut in Religione Minorum, laici, seu conversi ad illas teneantur, sicut ad alia præcepta propriæ Regulæ. *Communis.*
  
 Item sub mortali obligantur ad recitandum divinum officium, seu horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim omnes, ac singulae Moniales choro adstrictæ ratione consuetudinis obligantis sub mortali, quamvis ad id non sint obligatæ ex vi regulæ, aut voti. Vide verb. Moniales art. 6. à num. 1. ad 3. Excipiuntur tamen novitiæ, & conversæ; de quibus discurrendum est, ut de novitiis, & laicis seu conversis Regularium, uti supra sub n. 37. & 38.
   
 Obligatio recitandi divinum officium in choro incumbit toti Communitati, Monasterio, Capitulo, ita tamen ut primario, & ex officio incumbat Præbato, seu Superiori, qui peccabit graviter, si ex ejus culpa officium vel omittatur, vel notabiliter negligatur, vel etiam indebite persolvatur. *Communis. argum. Clement. 1. de celebratione missarum.* Secundario talis obligatio incumbit

bit subditis, ita ut deficiente suo muneri Superiore, etiam peccent mortaliter subditi, si ex eorum negligentia divinum officium prætermittatur, aut indebite persolvatur. Communis, cum Donato tom. 4. prax. Reg. Regul. tractat. 18. q. 24. Sporer l. c. n. 16. Henno l. c. q. 3. art. 1. concl. 2.

44 Novitii soli de more recitantes in choro horas canonicas satisfaciunt obligationi loco professorum, dummodo tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum corpus Communitatis, sive Collegium. Diana part. 7. tract. 11. miscellam. resol. 5. ex Caramuel in Reg. S. Benedicti disput. 101. dub. 6. Pellizzar. in manual. tract. 5. c. 8. sect. 1. q. 22. n. 49. Reiffenst. lib. 3. decret. tit. 31. n. 116. Donat. 1. 2. prax. rerum regul. part. 4. tract. 6. q. 22. & alii. Et ratio est, quia novitii in favorabilibus reputantur religiosi professi, adeo ut dici possint pars, & membrum communitatis, ac proinde possint satisfacere obligationi chori; tum quia sicut gaudent privilegiis professorum, ita possunt concurrere ad implenda illorum onera, cum per hoc non possint dici subesse oneribus professorum, sed posse implere illa loco professorum. Donatus autem l. 4. prax. rer. regul. tract. 18. q. 30. censet negativam, & contrariam sententiam esse tutiorem, quia servitium chori est onus personale professorum, quod nequit per non professos adimpleri nisi ex causa juxta, & necessaria, & secundum hoc vult intelligi, quod dixit tom. 2. loco supra citato.

45 Ad satisfaciendum obligationi persolvendi horas canonicas in choro sufficiunt, & requiruntur saltem tres, quia tres faciunt Collegium; l. Neratius 85. ff. de verb. signific. ibi: Neratius Priscus tres facere existimat Collegium, & hoc magis sequendum est, Reiffenstuel lib. 3. decret. tit. 31. n. 116. Donatus tom. 2. prax. rer. regul. p. 4. tract. 6. quest. 22. & alii contra Sporer loc. citat. n. 17. & alios volentes requiri saltem quatuor.

46 Obligati ad divinum officium, & choro additi, licet extra chorum non teneantur diebus statutis recitare psalmos graduales nec penitentiales, neque officium parvum B. M. V. nec defunctorum, tamen in choro ex præcepto recitare debent. Sic novissime Sac. Rit. Congr. per requis decretum. Persolventes divinum officium extra chorum non tenentur ad psalmos graduales, nec penitentiales, neque ad officium parvum B. M. V. nec defunctorum, quæ quidem officia, & psalmi sunt onera tantummodo ex præcepto implenda in choro; Sac. Rit. Congr. 2. Sept. 1741. unde huic decreto accommodari, ac juxta idem moderari debent dicta in verb. Canonicius, Canonicius art. 5. de Canoniciis... quoad eorum d. n. 51. ad 56. Vide tamen infra art. 3. n. 107.

47 Religiosi fugitivi, seu apostate, excommunicati, suspensi, & interdicti tenentur adhuc ad recitationem divini officii, licet non sint sacris initiati; sic fere communis Doctorum per dicta, & jura adducta supra n. 21.

48 De religiosis condemnatis ad tirimes, incarceratis, seu factis captivis ab infidelibus idem dicendum est, quod de clericis in sacris dictum est supra n. 24. De religiosis degradatis idem dicendum est, quod supra n. 22.

49 Quid aut dicendum sit de religiosis ejectis. Vide verb. Ejecti à religione n. 51. & 52.

50 Religiosus chorista nondum in sacris constitutus, si ex privilegio Papæ exeat à religione ad ducendam uxorem (nisi diploma aliud statuatur, propter quod est diligenter attendendum, & adimplendum) non tenetur divinum officium recitare, quia tunc Papa dispensans in professione, censetur & dispensare in eo, quod talem professionem sequitur; argum. leg. Cum principalis 178. ff. de regul. jur. & cap. Accessorium 42. de regulis juris in 6. Henno loc. cit. concl. 2. Donatus tom. 4. tractat. 18. q. 14. La-Croix lib. 4. n. 1191. & alii passim.

51 (Vide verb. Vicarius Generalis Episcopi, n. 39.) Idem probabiliter dicendum est de eo religioso nondum in sacris constituto, qui obtinuit Pontificiam dispensationem perpetuo vivendi extra monasterium, quia licet ipse maneat religiosus, non tamen regularis chorista. Unde cum obligatio recitandi officium private sit sequela obligationis illud recitandi in choro, ablata ab eo per Papam obligatione recitandi in choro, censetur ablata etiam

obligatio recitandi privatim, utpote accessoria ad illam, argum. juribus cit. n. anteced. Sic Scotus lib. 10. de justitia q. 5. art. 3. Azorius tit. 1. lib. 10. c. 6. q. 8. Bonacina de horis canonicis disp. 1. quest. 2. punct. 2. n. 4. Faustus de horis lib. 2. q. 43. Donat. cit. l. 4. tract. 18. q. 13. n. 2. Busemb. lib. 4. dub. 2. de horis canonicis art. 1. n. 2. cum aliis contra Navarr. Suarez, & alios. Idem dicendum est propter eandem rationem de religio so nondum in sacris ex similis dispensatione Pontificia transeunte de clericatu ad statum conversorum, aut ad religionem, ubi religiosi non sunt ad chorum professi, & obligati; Henno loc. cit. conclus. 2. Donat. loc. c. q. 17. Sotus l. c. art. 3. post 2. conclusionem in §. dub. de Relig. ad finem, & alii passim.

¶ Prioribus ecclesiarum secularis nulla clericos majores inter & minores fuit distinctio quoad obligationem recitandi horas canonicas. Nullus enim tunc Minoribus Ordinibus initiabatur, quin una adscriberetur alicui ecclesiarum, cui deserviret tamquam minister. Nil igitur mirum, quod quicumque clericus horas canonicas recitare tenebatur.

¶ Sequioribus secularis disciplina hæc mutationem accepit, & ordinari clerici cœperunt, sine adscriptione ecclesiarum alicui. Atque ab eo tempore ab onere recitandi horas canonicas se eximere cœperunt, qui clerici nondum sacris ordinibus initiati, neque beneficium possidebant. Consule Vanesp. de hor. canon. cap. 1. §. 1. qui §. sequenti docet, qua ratione clericis merito injungatur horarum canonicarum recitatio. ¶

ARTICULUS II.

Quod ea, quæ concernunt intentionem, & attentionem requisitam ad recitationem divini officii.

SUMMARUM.

- 1 **I**ntentio quid sit.
- 2 **I**ntentio dividitur in actualem, virtuales, habituales, & interpretativam.
- 3 **Q**uæ sint omnes istæ intentiones, remissive.
- 4 **I**ntentio alia explicita, & quæ sit.
- 5 **A**lia implicita, & quæ sit.
- 6 **A**lia est directa, & quæ sit.
- 7 **A**lia indirecta, & quæ sit.
- 8 **A**lia est absoluta, & quæ sit.
- 9 **A**lia est conditionata, & quæ sit.
- 10 **A**d recitandas horas canonicas requiritur intentio aliqua formalis orandi Deum.
- 11 **N**on requiritur tamen intentio actualis, & explicita, sed sufficit virtualis.
- 12 **E**t etiam sufficit intentio implicita.
- 13 **I**ntentio autem mere habitualis, & interpretativa non sufficit.
- 14 **N**on requiritur expressa intentio recitandi attentæ, & studiosæ.
- 15 **I**ntentio nova, vel primæ intentionis renovatio non requiritur, si plures horæ consequenter recitentur, neque etiam ea requiritur, si fiat interruptio, & postea prosecutio horæ.
- 16 **I**ntentio satisfaciendi non requiritur ad recitationem horarum, sed sufficit intentio ponendi opus debitum.
- 17 **I**mmo satisfaciunt obligationi, qui recitantes horas expresse intendit per illam recitationem non satisfacere, quævis dicat: Nolo hæc horarum recitatione satisfacere præcepto ecclesiarum, sed ut satisficiam, decerno iterum has horas recitare.
- 18 **A**ffertur, & solvitur instantia.
- 19 **H**inc qui legit horas non ea devotione, qua voluisset, ideoque proposuit (sine voto tamen) ad satisfaciendum præcepto repetere, etsi deinde non repetat, satisficit tamen præcepto.
- 20 **A**ffertur ad id notabilis advertentia.
- 21 **A**ttentio quid sit, & per quam differat ab intentione.
- 22 **A**ttentio est duplex, interna, & externa, & quæ sit utraque.

- 23 **A**ttentio interna circa recitationem horarum est triplex, scilicet superficialis, literalis, & spiritualis.
- 24 **A**ttentio superficialis quæ sit.
- 25 **A**ttentio literalis quæ sit.
- 26 **A**ttentio spiritualis quæ sit.
- 27 **Q**ualibet ex his tribus attentionibus adhuc est triplex, scilicet actualis, virtualis, & habitualis.
- 28 **A**ttentio actualis quæ sit.
- 29 **A**ttentio virtualis quæ sit.
- 30 **A**ttentio habitualis quæ sit.
- 31 **A**d satisfaciendum obligationi de recitando divino officio requiritur sub culpa mortali nedum attentio externa, sed etiam interna.
- 32 **A**dducuntur ad id duo versiculi glossæ.
- 33 **A**dducuntur alii duo versiculi.
- 34 **A**ffertur efficax ratio.
- 35 **A**dducitur, & solvitur duplex instantia.
- 36 **A**d satisfaciendum obligationi recitandi officium sufficit non solum attentio literalis, & spiritualis, sed etiam attentio superficialis.
- 37 **A**d satisfaciendum tali obligationi non solum sufficit attentio actualis, sed etiam virtualis, minime vero attentio habitualis.
- 38 **A**d peccatum mortale incurrendum ob defectum debite attentionis interne, non est necesse, ut mentis evagatio, seu distractio sit deliberata, directæque voluta, sed sufficit, si sit voluta indirecte.
- 39 **S**i vero mentis evagatio, seu distractio non sit plene voluntaria, seu recitans inadvertenter aliud cogitet, aut faciat, quousque advertat se distracti semper reputatur sufficienter attentus, & per consequens satisfaciunt obligationi recitandi officium.
- 40 **C**lerici Beneficij, qui cum voluntariis distractionibus recitant officium, licet mortaliter peccent, non tenentur tamen ad ullam fructuum restitutionem, dummodo tamen integre & cum intentione orandi, & Deum colendi recitent.
- 41 **A**d satisfaciendum obligationi recitandi officium sufficit attentio tacita, vel implicita.
- 42 **Q**ui officium incipit recitare cum intentione recitandi debite, quousque debita opera mentem non divertit, licet per totum officium distractus, non peccat mortaliter.
- 43 **Q**uod licet Sanchez intelligat de omnibus, Gobat tamen merito intelligit de solis scrupulosis, & solitis recitare pie, & devote.
- 44 **Q**ui accedit ad ecclesiam de more ubi officium recitatur, ut adimpleat munus suum, sufficientem habet intentionem, ac proinde satisfacit, quamvis postea recitet involuntarie distractus.
- 45 **D**ummodo quis adhibeat mediocrem diligentiam pro repellendis distractionibus se vexantibus, & non supina, & crassa negligentia se evagari sinat, satisfaciunt obligationi recitandi officium cum sufficienti attentione.
- 46 **Q**uinimo absque culpa poterit admitti aliqua brevis mentis evagatio ad refocillandum cerebrum, vel cor, & inter recitandum officium aliquid annotare, seu famulo mandare, aut aliquid alteri significare, ne interim memoria decidat, aus evadat occasio.
- 47 **Q**uamdiu scrupulose evidenter non constat, quod mutaverit propositum recitandi attentæ, vel advertentis, sciens, volens inbaserit cogitationibus plane alienis inter recitandum officium, credere potest se satisficisse sue obligationi.

Alia est directa, & quæ sit, vide *ibid.* n. 10. 6  
Alia est indirecta, & quæ sit, vide *ibid.* n. 11. 7  
Alia est absoluta, & quæ sit, vide *ibid.* n. 12. 8  
Alia est conditionata, & quæ sit, vide *ibid.* n. 13. 9  
Ad recitandas horas canonicas, seu divinum officium 10  
requiritur intentio aliqua formalis orandi Deum. Vide *ibid.* n. 44.  
Non requiritur tamen intentio actualis, & explicita, 11  
sed sufficit virtualis, vide *ibid.* n. 45.  
Et etiam sufficit intentio implicita, vide *ibid.* n. 46. 12  
Intentio autem mere habitualis, & interpretativa 13  
non sufficit, vide *ibid.* n. 47.  
Non requiritur expressa intentio recitandi attentæ, & 14  
studiosæ, vide *ibid.* n. 48.  
Intentio nova, vel primæ intentionis renovatio non 15  
requiritur, si plures horæ consequenter recitentur, neque etiam ea requiritur, si fiat interruptio, & postea prosecutio horæ, vide *ibid.* n. 49.  
Intentio satisfaciendi non requiritur ad recitationem 16  
horarum sed sufficit intentio ponendi opus debitum, vid. *ibid.* n. 50.  
Immo satisfaciunt præcepto, qui recitantes horas expresse 17  
intendit per illam recitationem non satisfacere, quamvis dicat: Nolo hæc horarum recitatione satisfacere præcepto ecclesiarum, sed ut satisficiam, decerno iterum has horas recitare, vide *ibid.* n. 52.  
Afferitur, & solvitur instantia, vide *ibid.* n. 53. 18  
Hinc qui legit horas non ea devotione, qua voluisset, 19  
ideoque proposuit (sine voto tamen) ad satisfaciendum præcepto repetere, etsi deinde non repetat, satisfaciunt tamen præcepto, vide *ibid.* n. 54.  
Afferitur ad id notabilis advertentia, vide *ibid.* n. 55. 20  
Attentio est actus intellectus, per quem homo con- 21  
siderat ea, quæ facit, & differat ab intentione, quia intentio non est actus intellectus, sed est actus voluntatis circa finem; Sic Doctores communiter.  
Attentio est duplex, interna, & externa, & quæ sit 22  
utraque, vide verb. Attentio n. 2. 3. & 4.  
Attentio interna circa recitationem horarum est tri- 23  
plex, scilicet superficialis, literalis, & spiritualis. Vid. dict. verb. Attentio n. 5.  
Attentio superficialis quæ sit, vide *ibid.* n. 6. 24  
Attentio literalis quæ sit, vide *ibid.* n. 7. 25  
Attentio spiritualis quæ sit, vide *ibid.* n. 8. 26  
Qualibet ex his tribus attentionibus adhuc est tri- 27  
plex, scilicet actualis, virtualis, & habitualis, vide *ibid.* n. 9.  
Attentio actualis quæ sit, vide *ibid.* n. 10. 28  
Attentio virtualis quæ sit, vide *ibid.* n. 11. 29  
Attentio habitualis quæ sit, vide *ibid.* n. 12. 30  
Ad satisfaciendum obligationi de recitando divino 31  
officio requiritur sub culpa mortali nedum attentio externa, sed etiam interna, vide *ibid.* n. 13.  
Adducuntur ad id duo versiculi glossæ, vide *ibid.* n. 14. 32  
Adducuntur ad id duo versiculi, vide *ibid.* n. 15. 33  
Afferitur efficax ratio, vide *ibid.* n. 16. & 17. 34  
Afferitur, & solvitur duplex instantia, vide *ibid.* 35  
ad n. 18. ad 23.  
Ad satisfaciendum obligationi recitandi divinum of- 36  
ficium sufficit non attentio literalis, & spiritualis, sed etiam attentio superficialis ad verba, cum pia intentione orandi, & colendi Deum prolata, Communiter, vide *ibid.* num. 22. & 23.  
¶ Horæ canonicæ recitari debent secundum Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 12. reverenter, devotè, ac ea animi attentione, quæ illi convenit, qui Deum suum presentem considerat, qui in ipsum Creatorem omnium pio humilique affectu fertur, quique ipsum laudare intendit. Ex quibus inferitur, quàm longissime à vero aberrare auctores illos, qui asserunt, nullam requiri interiorem attentionem in recitatione divini officii, sed sufficere superficiale quædam attentionem ad verba, ut nempe ista integre, distincteque pronuntientur, quam opinionem sequitur etiam Lucius noster. Verum qui sic opinantur, meminisse deberent, quod qui absque illa interiori attentione Deum precatur, non orat, sed simulat orare, vera namque oratio est ascensus mens

tis in Deum, secundum Damascenum; est actus religionis Deo gratus, ac ecclesie utilis; ac oratio illa, quæ sine interiori attentione fit, non est verus Dei cultus, qui fieri debet in spiritu, & veritate, sed est species quadam hypocrisis, ac simulatio orationis. Orandum estigitur non solo corpore, sed in spiritu & veritate, non superficiali dumtaxat attentione, sed mente ad Deum elevata. †

† Fallitur hic Theologus dicendo, quod ego sequor opinionem illorum qui asserunt, nullam requiri interiorem attentionem in recitatione divini officii, quam ego expresse contrarium sentiam, prout debebat ipse advertere ex iis, quæ trado n. 31. Quinimmo opinionem talem ego oppugno in cit. verb. Attentione n. 22. & 23. ubi expresse trado, quod facillima est attentio interna superficialis ad verba cum pia intentione orandi, & colendi Deum prolata &c. Vide ibi sub n. 23. ubi expresse concludo quod ad satisfaciendum præcepto de recitando divini officii, & de audienda, vel celebranda missa, requiritur sub culpa mortali nedom attentio externa, sed etiam interna, & num. sequent. id efficaciter probat, & solvo objectiones, & n. 24. doceo, quod ad peccatum mortale incurrendum ob defectum debite attentionis interne, non est necesse, ut mens evagatio sit deliberata, directæque voluta, sed sufficit, quod sit voluta indirectæ. Quid clarus circa sententiam meam, contra falsam assertionem à Theologo nostro mihi impaſam? †

Ad satisfaciendum tali obligationi recitandi divinum officium non solum sufficit attentio actualis, sed etiam virtualis, minime vero sufficit attentio solum habitualis, Communis.

Ad peccatum mortale incurrendum ob defectum debite attentionis internæ non est necesse, ut mens evagatio, seu distractio sit deliberata, directæque voluta, sed sufficit, si sit voluta indirectæ; vide ibid. n. 24.

Si vero mens evagatio, seu distractio non sit plene voluntaria, seu recians inadvertenter aliud cogitet, aut faciat, quousque advertat se distrahi, semper reputatur sufficienter attentus, & per consequens satisfactio obligationi recitandi officium; vide ibid. n. 25.

Clerici Beneficiati, qui cum voluntariis distractionibus recitant divinum officium, licet mortaliter peccent, non tenentur tamen ad ullam fructuum restitutionem, dummodo integre, & cum intentione orandi, & Deum colendi recitent; vide ibid. à num. 26. ad 29.

Auctor noster ratur sufficere superficiale tantummodo attentionem ad satisfaciendum obligationi divini officii, sustinet etiam propterea, clericos beneficiarios, qui cum voluntariis distractionibus horas canonicas recitant, non teneri ad ullam fructuum restitutionem, etsi mortaliter peccent. Veram opinio hæc pereruditus Romanus Censoribus non placet, & merito id quidem: "Nam qui voluntarie, & data opera mentem alio distrahit, & positive atque animo deliberato persistit in hac distractione tempore recitationis, inquit P. Concina loco superius citato quest. 10. re ipsa non implet præceptum, quemadmodum non implet præceptum confessionis annuæ per confessionem sacrilegam." Sicut enim qui confitetur sacrilege, facit confessionem voluntarie nullam, sic qui animo voluntarie distracto horas canonicas recitat, suæ obligationis non satisfactio, præceptum de recitando divino officio non adimplet, ac proinde idem est, ac si prosum actum non poneret. Hinc fit, quod si clericus beneficiarius, ita animo voluntarie distracto officium recitet, post primos sex menses à possessione beneficii, nedom mortaliter peccat, sed tenetur etiam ad restitutionem pro rata omissionis, ut S. Pius V. in supra laudata sua constitutione præcipit. Quæ cum ita se habeant, conficiatur sane, summam debere esse solertiam diligentiamque clericorum, qui ecclesiastica præcipue possident beneficia, repellendi à se voluntarias hujusmodi distractiones, ne obnoxii fiant restitutioni ob non adimpletum præceptum recitationis divini officii. †

† Non ego reor sufficere superficiale tantummodo attentionem ad satisfaciendum obligationi divini officii. Debebat enim R. Theol. fideliter referre integram meam conclusionem, nempe, "licet mortaliter peccent, non tenentur ad ullam fructuum restitutionem, dummodo

intamen integre, & cum intentione orandi & Deum colendi recitent." Ad quod sustinendum adduco loco ibi cit. solida fundamenta, attente ibi perpendenda. †

Vide etiam notam verb. Attentione n. 28. tom. 1. Ad satisfaciendum obligationi recitandi divinum officium sufficit attentio tacita, vel implicita: Non enim requiritur propositum expressum attente recitandi, unde intendens in genere recitare officium modo consueto, vel intendens Deum laudare, & debito suo satisfacere; sufficientem habet attentionem; vide ibid. n. 30.

Qui officium incipit recitare cum intentione recitandi debite, quoties dedita opera mentem non divertit, licet per totum officium distractus, non peccat mortaliter; vide ibidem n. 31.

Quod licet Sanchez intelligat de omnibus, Gobat tamen merito intelligit de solis scrupulosis, & solitis recitare pie, & devote; vide ibid. n. 32.

Qui accedit ad ecclesiam de more ibi officium recitaturus, ut adimpleat manus suam, sufficientem habet attentionem, ac proinde satisfactio, quamvis postea recitet involuntarie distractus; vide ibid. n. 33.

Dummodo quis adhibeat mediocrem diligentiam pro repellendis distractionibus se vexantibus, & non supina & crassa negligentia se evagari sinat, satisfactio obligationi recitandi officium cum sufficienti attentione; vide ibid. n. 34.

Quinimo absque culpa poterit admitti aliqua brevis mentis evagatio ad refocillandum cerebrum, vel cor, & inter recitandum officium aliquid annotare, seu famulo mandare, aut aliquid alteri significare, ne interim memoria decadat, aut evadat occasio; vide ibid. n. 35.

Quamvis scrupuloso evident non constat, quod mutaverit propositum recitandi attente, vel advertens, sciens, volens inhererit cogitationibus plane alienis inter recitandum officium, credere potest se satisfacisse suæ obligationi, cum hoc sit privilegium scrupulosorum; Communis; vide ibid. n. 36.

### ARTICULUS III.

Quoad ea, quæ concernunt integritatem, continuativitatem, & formam recitandi divinum officium.

#### SUMMARIUM.

- 1 Omittens culpabiliter integrum divinum officium, peccat mortaliter.
- 2 An is committat tot numero peccata, quot omittit horas.
- 3 Probabiliter tenetur in confessione explicare, quod omisit totum officium.
- 4 Probabile est etiam, quod is non tenetur explicare in confessione, quod omisit totum officium, aut tales & tot horas.
- 5 Peccat mortaliter, nedom omittens totum integrum officium, sed etiam omittens culpabiliter ejus partem notabilem.
- 6 Notabilis pars est omisso unius integræ horæ minoris.
- 7 Sic etiam notabilis pars est omisso laudum, unius nocturni, aut alterius similis æquivalentis partis.
- 8 Omittente minoram partem, quam totam parvam horam, aut simile æquivalentem, non est peccatum mortale.
- 9 Probabile est esse tantum peccatum veniale omittente totas vespas Sabbati Sancti.
- 10 Alii tamen sentiunt contra.
- 11 Omittente culpabiliter interruptum per totum officium quantitatem æquivalentem integræ parvæ horæ, est peccatum mortale.
- 12 Omittente supra notabilem partem officii probabiliter committit unum solum peccatum mortale, quamvis simul sit Sacerdos, Parochus, & Monachus.
- 13 Qui notabilem partem divini officii culpabiliter, seu etiam inculpabiliter ex oblivione omisit, si recorderetur eadem die, tenetur sub mortali adhibere supplementum. Si

14 Si vero recorderetur altera die, non tenetur supplere.

15 Qui dubius, an recitaverit aliquam horam, si nullam habeat rationem, aut conjecturam, quod recitaverit, tenetur recitare, seu repetere.

16 Si vero habeat rationem aliquam, vel conjecturam, quod recitaverit, non obligatur recitare, seu repetere.

17 Et à fortiori non tenetur repetere, qui certo scit se dixisse aliquam horam, & solum dubitat, an integre eam dixerit, seu aliquid in ea omiserit.

18 Qui inter publicam canonicam horarum recitationem ex officio, vel Superioris mandato occupantur in parandis libris, in providendis antiphonis, in pulsanis organis, in sonandis campanis, & hujusmodi, non tenentur repetere quæ alii, ipsis non audientibus, nec recitantes, cantant, seu recitant.

19 Quamvis aliqui probabile censeant eos satisfacere, qui cum sola attentione assistant integræ horæ à musicis decantate; tamen oppositum est tenendum.

20 Psalmi, hymni, antiphonæ, & hujusmodi, quæ solo organo, vel alio musico instrumento sine humana voce peronantur, debent à religiosis in choro submissa voce recitando suppleri.

21 Alii tamen docent oppositum, insuper docentes organadum, qui choro organis musicis alternis veribus respondit, non esse obligatum, ut voce etiam proferat, ad n. 22.

22 Integre recitatur divinum officium, quod etiam privatim recitatur cum socio, seu sociis alternatim versus recitando.

23 Unde potest licite recitari divinum officium etiam privatim à quatuor, vel octo simul, dummodo non constituantur nisi duplex chorus.

24 Integre, & licite recitatur divinum officium cum socio etiam laico, non obligato, non attento, immo non audiente, dummodo ipse recte recitet alternatim versus, & ab obligato ad officium attente audiat.

25 Qui in choro, vel cum socio divinum officium recitando, nondum absolutus alterius chori, seu socii versibus, præpropter notabiliter incipere suos, peccat graviter, vel leviter juxta materia quantitatem.

26 Item peccat graviter, vel leviter juxta materia quantitatem, qui recitat divinum officium sincopando, mutilando, glutendo, seu absorbendo syllabas, seu medias, sive ultimas, nisi tamen id fieret involuntarie ex naturali lingue defectu.

27 Qui ob alterius chori defectum, vel ob strepitum aliqua ab altera parte prolata non percipit, adhuc satisfactio, nec est opus quidquam repetere.

28 Et hæc est verum, etiam si quis sit surdus, & inde alterius chori partem audire non valeat; quod tamen alii negant.

29 Officium divinum nedom est recitandum integre, sed etiam continue, ita ut una hora canonice cæpta, debeat tota dici usque in finem continue, nec possit licite interrumpi sine justa causa.

30 Unde graves Doctores dicunt, quod si in eadem hora, vel palma absque rationabili causa fiat magna, & longa interruptio, sit peccatum mortale, nisi repetatur totum.

31 At vero per se præscindendo à scandalo, & contemptu, non erit mortale, sed solum veniale, horam canonicam cæptam absque omni rationabili causa interrumpere etiam notabiliter per multas horas.

32 Immo si justa, & rationabilis aliqua causa interveniat, nullum nequidem veniale peccatum est interrumpere pausis recitationem divini officii.

33 Quæ sint hujusmodi justæ cause.

34 Matutinum potest licite etiam sine ulla causa dividi tota nocte à laudibus.

35 Immo multi dicunt id esse etiam laudabile. Quando dividitur à laudibus debet in fine addi Patet nos-

ter, & probabiliter etiam addi debet oratio diei sine aliis commemorationibus.

36 Probabiliter est etiam, quod initio laudum divinarum non debeat dici Pater noster, & Ave, quamvis consuetum, & laudabile sit illa dicere.

37 Probabiliter etiam posse separari in matutino nocturnum à nocturno, dummodo interruptio sit tantum dimidia, vel unius horæ, tenent varii Doctores.

38 Pro recitando divino officio ab omnibus breviario Romano adstrictis, servanda est omnino forma generalis breviarii editi jussu S. Pii V. & confirmati à Clemente VIII. & correcti, novisque hymnis adornati ab Urbano VIII.

39 Qui autem à ducentis annis à dicta constitutione S. Pii V. utebantur aliis breviariis, possunt adhuc illis uti.

40 Clerici, & Religiosi adstricti breviario Romano non satisfaciunt præcepto, sed mortaliter peccant, si recitent officium ex alio breviario peculiari alicujus Ecclesie, vel Religionis.

41 Contra Clericos, & adstricti breviario propria ecclesie, vel Religionis (nisi aliud specialiter pro ipsis post dict. consti. S. Pii V. à Sancta Sede sit cautum) non peccant, si in privata recitatione divini officii utantur breviario Romano.

42 Forma recitandi divinum officium nedom servanda est secundum dictum breviarium, sed etiam secundum proprium kalendarium, seu directorium recitando qualibet die prout ibi signatur.

43 Unde peccat mortaliter, nec satisfactio præcepto, qui data opera mutat officium hujus diei in aliud officium notabiliter brevius.

44 Immo peccat probabiliter etiam mortaliter, qui data opera sine justa causa mutat officium hujus diei in aliud licet æquivalentem, seu etiam longius.

45 Qui culpabiliter recitavit officium de Martyre, cum esset recitandum de Confessore, non tenetur totum repetere, sed sufficit, si repetat illa, quæ sunt Confessoris propria.

46 Si autem inculpabiliter per inadvertentiam recitavit officium de Martyre, cum esset recitandum de Confessore, licet consultus, & laudabilis sit illa repetere, non est tamen obligatorum, neque sub veniali.

47 Qui per inadvertentiam, seu errorem incipit recitare officium non præscriptum, & recitato jam matutino, primum advertit errorem, si nolit ab initio repetere, ut esset consultus, & laudabile, sufficit, quod ex tunc errorem corrigat, & recitet officium præscriptum illius diei quoad reliquas horas.

48 Qui per inadvertentiam, vel errorem hodie recitavit officium crastinum, debet cras iterum recitare illud officium jam hodie celebratum.

49 Qui sic erravit, debet potius eo anno penitus illud officium omittente, quam rubricas inverttere illud in alium diem transferendo.

50 Plura continilia, remissive.

51 Generaliter loquendo omnis Clericus, sive secularis, sive regularis existens etiam pluribus annis extra suam diocesim, aut monasterium, sed solum tamquam peregrinus, & advena, potest recitare officium de Sanctis, de quibus recitaret, si ipse existeret in sua diocesi, aut in suo monasterio, ad n. 53.

52 Regulares vero choro additi debent semper recitare officium, quod recitatur in illo conventu, in quo, sive ut moratores, sive ut hospites existunt.

53 Forma recitandi divinum officium juxta kalendarium, & breviarium Franciscanum, servanda est ab omnibus Religiosis, & Monialibus existentibus sub obedientia Ministri Generalis Ordinum Minorum.

54 Etiam Moniales tam S. Clare, quam Tertii Ordinis, quamvis sint sub gubernio Ordinariorum possunt uti nostro breviario Franciscano.

55 Etiam tertiarii nostri Ordinis in seculo degentes